SERENISSIMI PRINCIPIS MEMMI CREATIO.

Superiorum permissu.

VENETIIS, M. DCXIII.

Apud Euangelistam Deuchinum.

SERENISSIMI PRINCIPIS MEMMI CREATIO.

HADRIACVM *ſonuere Ducem maria alta, ſuperbam*
Quæ late hanc cingunt Vrbem; ſonuere recurua
Littora; & ingenti ſtrepuerunt omnia plauſu
Gratantum populorum, alacri ſtudioque fauentum.
Jam licet ex altis fulgentes molibus ignes
Aſpicere, & ſonitus tercentum audire tubarum,
Aeraque flammiferos imitantia fulminis ictus:
Quæque alia eſſe ſolent Vrbis felicia læta
Argumenta, nouo ſub Principe; quem ſimul omnes
Jampridem merita optarint in ſede locari;
Quemque ſibi haud dubijs auſint promittere ſignis,
Magnanimumque, piumque, ſalutiferumque futurum.
Salue magne virùm MEMMI. *Tu tu inclytus ille es,*
Cui genus antiquum, MNESTHEVS *cui ſanguinis auctor,*
Dardanides MNESTHEVS, *qui, Laomedontia poſtquam*
In cineres Graiæ verterunt mœnia flammæ,

Æneam profugum fato meliore secutus
Tibridis ad ripas claræ primordia gentis
Constituit, Tiberis stirpem transmisit habendam
Littoribus nostris, tantæ molimina sedis
Fundaturam olim, & magna incrementa daturam.
Magne virùm MEMMI, *te te Patria alta salutat*
Sublimi impositum solio, gaudetque tueri
Conspicuo hoc cornu, sceptrisque ingentibus auctum.
Omnia quæ cupido spectat dum lumine, dumque
Id Procerum studijs recolit concordibus actum
Te te ipsum poscentum vltro; & decora ista fatentum
Debita Virtutique tuæ, generique vetusto,
Lætitia exultans, ecquid iam comprecer, inquit,
A superis melius? Vos ò Vos scilicet istam
Cælicolæ Patribus mentem inspirastis, & omnes
Hoc dare perpetuum voluistis pignus amoris;
Totque manus meritis claras, tantique capaces
Muneris huic vni demum concedere. per vos
Pectora tot video nunc coniunctissima. tales
Vos igitur seruate animos; & numine vestro
Mens eadem seris, studiumque Nepotibus esto,
Idem amor: & seclis nil dein venientibus obstet,
Quò minus illustris nullo discrimine Virtus,
Altaque Nobilitas summo splendescat honore.

OCTAVII MENINI.